

**Martin, Pierre Denis - candidat /
Sabatier, Raphael Bienvenu -
président. - De variis Cataractam
extrabendi modis**

1759.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Collegii & Acad. Reg.***

***Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae.***

Cote : ms 2342, n°70



D. O. M.

De variis Cataractam extrahendi modis.

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



CATARACTAM, omnium ferè morborum oculi frequentiore, arte variâ diversisque operandi methodis, è pupillæ centro amoveri posse, quotidiana docet experientia. Hanc acu per oculi membranas cautè immisâ deprimunt alii, alii vero corneâ membranâque hyaloïdeâ incisis, è profundioribus oculi recessibus norunt educere. Sua utrique methodo sunt commoda & incommoda quæ inter se componere vetant instituti ratio, nec non temporis angustia. Varias Cataractam extrahendi rationes exposuisse sufficiet; illud verò propositum ita exequi conabimur, ut quid de illis sentiendum sit, judicare valeat quilibet æquus rerum æstimator.

[CATARACTÆ extractionem veteribus omnino incognitam non extitisse constat. Avicennas enim quem sub undecimi sæculi initio vixisse ferunt, vias esse diversas asserit in exercendo curam aquæ, quæ sit cum instrumento, ita ut quidam sint qui distrumpant partem inferiorem corneæ, & extrahant aquam per eam. Aquæ autem nomine, Suffusionem, Hypochyma, Cataractam intelligit. Alii insuper Autores hujus-ce operationis mentionem faciunt, diversaque instrumenta huic perficiendæ idonea proponunt. Albucasis Avicennæ quodam modo

A



coævus arundineam describit acum, quâ penetrare oculos, & Cataractam oris suctu tentat educere. Blancardus exiguum fieri posse vulnus arbitratur in parte superiore corneæ, nec-non duarum acuum, forcipis instar febrefactorum ope, Cataractam eximi. Burrhus censet illam penicillo è subtilissimis auri filamentis contexto, vaginâque æneâ & acuminatâ incluso, discerpendam esse atque deinde retrahendam. Plures subtilem citharæ cordam, unco armatam, per acum canaliculatam in oculum immittunt, ut nempe Cataractam apprehensam foras protrahant. Alii denique volsellâ utuntur tenuiore, in mucronem desinente, cujus rami à se invicem deduci valeant. Cum verò Cataractam ab humore in membranam concreto pendere omnes arbitrentur, illos de Cataractâ cristallinâ, hisce mediis educendâ, ne quidem cogitavisse, nullus non videt.

ILLUD Cataractæ genus, è posteriore oculi camerâ, idoneâ incisionis ope extrahi posse, primus anno 1707 cognovit Illustr. Meryus, hujus-ce Collegii Regiæque Scientiarum Academiæ quondam decus atque ornamentum. Cum enim pupillam facillimè dilatar, corneæ pellucidæ vulnera citò condescere, nec-non humoris aquei jacturam breviori temporis intervallo reparari observaret, nihil ex illâ operandi ratione pertimescendum esse affirmavit modo corneæ sectio versùs inferiorem illius limbum institueretur. Hanc deinde probavit Woolhousius, scriptisque suis commendavit. Tailorus se illam celebrare posse, referente Heistero paulo post gloriatus est, Pallucciussque idem de se ipso asserit in libello quem de novâ Cataractam deprimentis ratione, non ita pridem publici juris fecit. Attamen obscura erat illius operationis fama, donec D. David Chirurgus Regis Ocularius, illam tenebris veluti obrutam fuscitaret, methodumque suam non minus solum quam ingeniosè excogitatam, cum Regiâ Chirurgiæ Academiâ anno 1752 communicaret,

METHODUS illa peculiaribus perficitur instrumentis. Hæc autem sunt 1°. acus plano convexa, mirtiformis, utroque latere secans, manubrio longiore instructa, nec-non eâ parte quâ cum manubrio conjungitur, paululum incurva; 2°. forcipes duæ obtusæ & curvo-convexæ, quarum ea est figura ut corneæ convexitati apprimè respondeant, alteraque dextrorsum, altera vero sinistrorsum respiciat; 3°. spatula tenuis in modum cochlearis efformata; 4°. que acus altera, minor, lanceolata, acui plano convexæ modo descriptæ perfectè similis. His omnibus ritè dispositis, ex adverso confidunt æger atque Chirurgus, ita ut hic altiore, ille vero inferiorem sedem occupet, adversoque lumine collocetur. Oculum deinde sanum, minister à

tergo positus fasciâ devincit ægrique capite super pectus suum reclinato, palpebram superiorem digitis attollit, atque mechanicos oculi motus cautè moderatur. Interim Chirurgus ipse palpebram inferiorem, sinistræ manûs digitis deprimit, & ægrum sursum spectare jubet. Oculo defixo, mirtiformem dextrâ sumit acum eâdem ratione quâ calamum scriptorium apprehenderet, illamque in anteriorem oculi cameram, per inferiorem corneæ partem, lentè demittit, ne fortè subjectæ partes instrumenti mucrone lædantur. Corneæ sectionem, acum retrahendo, hinc & inde dilatat; aqueum humorem juxta genam effluentem spongiolâ vino tepido imbutâ abstergit. Deinde forficibus alternâ vice apprehensis, semi-circularem corneæ incisionem absolvit. Tunc, spatâ cochlearis figuram referentis ope, corneæ refegmen elevat alteramque acum, usque ad membranam arachnoideam, per pupillæ foramen demittit. Hâc demùm apertâ, Cataracta vel sponte suâ excidit, vel leni oculi pressione foras expellitur.

Vix cognita fuit operatio modo descripta, cum omnium oculos in se converteret, atque à multis celebraretur. Verum usus brevi docuit illam non paucis incommodis obnoxiam esse atque ideo emendandam. Cum enim quatuor instrumentis omninò diversis, iteratis vicibus, ob involuntarios oculi motus, in anteriorem illius cameram immittendis perficiatur, huic celebrandæ vix sufficit exercitissimi Chirurgi peritia. Aliunde forfices corneam incidendo sugillant, doloresque nec-non inflammationem necessariò pariunt. Adde corneæ sectionem absolutè semi-circularem, illarum ope fieri non posse, vulnusque plures exhibere angulos quibus vel retardatur, vel etiam impeditur illius curatio. Diversam simpliciorēque Cataractam extrahendi rationem non multo post proposuit M. De La Faye, D. que Poyet Nosocomii Præcipui Parisiensis tunc alumnus, & huic ordini nuper adscriptus, methodum aliam eodem ferè tempore adinvenit atque in lucem protulit. Vtramque paucis describemus.

INSTRUMENTA duo priori perficiendæ sufficiunt. Alterum est scalpellum tenue, plano convexum, & uno tantum latere secans si tamen illius cuspidem, quæ anceps est, exceperis. Illius longitudo est viginti circiter linearum, & latitudo lineas duas non superat. Manubrium insuper longius habet, ut nempe ad instar calami scriptorii facilius apprehendatur. Alterum cystitome dictum, Pharyngotomum æmulatur. Constat lanceolâ vaginâ inclusâ, quam organi occulti ope foras educere facillimum est. Omnibus ritè dispositis, Chirurgus palpebram superiorem elevari jubet, inferioremque deprimit. Mox scalpelli aciem, in ipsum ferè corneæ limbum, versùs extremum oculi canthum sic infigit ut illius convexitas iridi obvertatur,

A ij

4

illiusque acies inferiora respiciat. Illud in anteriorem oculi cameram profundius demergit, donec oppositam attingat corneæ partem, quâ perforatâ, sectionem peragit. Tum corneæ relegmen cystitome elevat, illiusque extremo cristallinæ lenti appposito, lanceolam pressio protrudit elatere, membranamque hyaloidem incidit. Denique Cataractam leni oculi pressione educit.

POSTERIOR methodus, eâdem ferè ratione, verum instrumentis diversis celebratur, scilicet scalpello corneæ membranæque cristallinæ incidendis apto, nec-non spatâ minore, cujus ope cornea secta possit elevari. Scalpellum rectum est, duos pollices longum, utroque latere secans, & manubrio ejusdem longitudinis instructum. Illud filo per foramen cuspidi vicinum trajecto armari volebat M. Poyet, ut nempè oculus in situ suo firmaretur. Ast infidum hujusce medii usum esse jam dudum comprobavit experientia. Egro supino, palpebrisque à se invicem diffitis, Chirurgus corneam scalpello versus minorem oculi canthum immisso pervadit, incisionemque semi-circularem absolvit. Cætera deinde fiunt æquè ac in operatione D. Daviel, præter quam quod scalpellum ipsum, acûs minoris & lanceolatæ vices suppleat. Ab illis operandi rationibus, non multum differunt methodi quibus D. Sharp M. que Tenon hujusce Collegii nec-non Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, in extrahendâ Cataractâ utuntur. Hic scalpellum habet rectum, unico tantum latere secans, atque in cuspidem longiorem desinens. Ille vero præter instrumentum à M. De La Faye excogitatum, cujus latitudini lineam integram eâ mente detraxit, ut *cameræ anterioris altitudini faciliùs adaptaretur*, aliud scalpellum, capsulæ præsertim incidendæ accommodatum, altero latere secans, alteroque obtusum, adhibet.

QAMVIS prædictæ methodi, mirâ quâdam facilitate se commendare videantur, illas tamen, omni numero absolutas esse, ne quis credat. Suis enim premuntur difficultatibus, suæque habent incommoda. Et quidem vix scalpellum anteriorem oculi cameram penetravit, cum totus effluit humor aqueus, subitanque parit corneæ defidentiam. Multa autem exinde nascuntur mala. Iris instrumenti cuspidem ut plurimum læditur, corneæque sectio difficilior evadit. Præterea, cum in illâ celebrandâ, Chirurgus scalpello deorsum atque antrorsum actio inniti debeat, delicatiores divelluntur oculi membranæ, illius convelluntur muscoli, corpus vitreum antrorsum pellitur, ipsaque lens cristallina, præcipiti impetu, non sine pupillæ sese contrahentis noxâ, sæpissime foras ejicitur. Internum quoque oculi canthum, ob involuntarios illius organi motus, punctim læsum fuisse non semel observatum est. Denique, & illud M. Poyet operationi peculiare est, si forte superior palpebra sibimet ipsi permittatur,

5

instrumentique feriât aciem, necessario inciditur.

PRÆTER huc usque memoratas Cataractam extrahendi rationes; aliæ sunt, à nobis pariter expendendæ. Autor Theseos in Scolis Medicorum Parisiensium anno 1752, sub hac verborum serie, propugnata, *an in Cataractâ, potior lentis cristallinæ extractio per incisionem in corned, quàm depressio per acum?* dicit sibi relatum fuisse quemdam pro utilitate publicâ, pauperum præcipuè, in Chirurgicis sedulò laborantem, Cataractam felicissimè novâ ratione extrahere, sine forficum usu, sine compressione globi specillive auxilio, ita ut sponte suâ, post solutam capsulam prodeat lens, forasque ejiciatur. Quodnam sit illud artificium planè ignorare fatetur, verum certò scire affirmat, citò vel serò publici fore juris. Operationem illam, quæ absque forficum usu celebratur, & in quâ lens cristallina sponte suâ excidit, eandem esse cum M. De La Faye vel M. Poyet methodis admodum veri simile est. Aliunde quod D. Sigwart, in suâ dissertatione de Cataractæ extractione ulteriùs perficiendâ, anno quoque 1752 propositâ refert, illam æquè semper non succedere comprobat. Dicit enim se vidisse mulierem, cujus oculus dexter hâc ratione sectus de formem, crassam & inæqualem cicatricem exhibebat, ita ut cultro victorio facta fuisse videretur incisio. Hæc autem cicatrix lineam rectam horizontalem supra mediam ipsius pupillæ partem occupabat. Quidquid sit, illius methodi autorem D. Daviel artificiiis, hâc post habitâ, nunc uti, certum est. Methodum quoque sibi peculiarem proponit jam suprà citatus D. Sigwart. Vult nempe, ut corneâ mirtiformi acu inferiùs perforatâ, incisio forficibus rectis & obtusis absolvatur, segmenque fiat trapezio non absimile. Operationem illam à M. de Garengot cum successu priùs celebratam fuisse novimus, quàm apud nos innotesceret D. Sigwart dissertatio. Cœterum parum refert uter priùs illam excogitaverit, cum à D. Daviel Εγχεσμος minimè recedat, iisdemque incommodis sit obnoxia.

ALIA tandem super est Cataractam extrahendi methodus, felici successu jam comprobata, paucisque benè cognita, quam ideo diligentius exponere conabimur. Instrumenta huic perficiendæ necessaria, sunt * A. hamulus quidam obtusus, B. hamulus alter duplex & acuminatus, longiore manubrio instructus, C. scalpellum leviter incurvum, pollicem longum uno tantum latere secans nec non manubrio pariter ornatum D. vossellæque minor, huic ferè similis quâ olim in instituendâ vasorum ligaturâ utebantur. Scalpellum, illud haber peculiare, quod sensim sine sensu latius evadat, donec trium linearum

* Hæc instrumenta delineari curavimus, eo ordine quo in usum mittuntur; Vid. Tabul.

latitudinem adeptum fuerit, illiusque facierum altera planam, altera vero plano-cilindricam superficiem exhibeat. Ægro idoneo in situ collocato, Chirurgus palpebram superiorem obtusioris hamuli ope elevat, illamque ministro continendam præbet, dum ipse alteram deprimit, adnatamque membranam juxta inferiorem corneæ partem, hamulo acuminato distinet. Oculi motus hoc instrumento faciliè moderatur, certumque situm, per omne sectionis tempus, illi conciliat. Mox scalpellum in anteriorem cameram ita immittit, ut plana illius superficies iridi obvertatur, illud à minori ad majorem oculi canthum protrudit, semicircularem peragit corneæ incisionem, utrumque hamulum expedit, lentemque cristallinam leni bulbi pressione tentat elicere. Si vero huic artificio diutius reluctetur, Chirurgus corneæ resegmentum vofsellulâ apprehendit atque elevat, ut nempe membranam hyaloïdem, ejusdem scalpelli cuspide valeat incidere. Tunc enim Cataracta sponte labitur, vel saltem minimæ pressioni cedit.

IN eo præstat * methodus modo descripta, quod oculi motus inter operandum coerceantur, Chirurgusque corneæ nec non capsulæ cristallinæ sectionem, non facilius tantum, sed etiam certius possit celebrare. Præterea cum scapelli acies eo latior evadat, quo magis à cuspide recedit, illiusque major latitudo corneæ sesqui diametro apprimè respondeat, illud ab uno ad alterum oculi canthum immittere sufficit ut cornea incidatur. Adde vulnus instrumento semper occupari, sicque nec humoris aquei effluxum, nec corneæ desidentiam, nec ipsiusmet uveæ prolapsum permittere, adeoque membranam illam, valde sensilem, vasisque sanguineis refertissimam, scalpelli acie, lædi nunquam posse. Timebunt fortè nonnulli, ne conjunctivæ laceratio bulbi inflammationem pariat, vofsellæque in corneam actio maculam illi inducat, quâ luminis interceptantur radii, objectorumque perceptio imminuatur. Nihil vero simile pertimescendum esse jam dudum repe-

* Simplicem illam, egregiamque operandi rationem, à D. Berenger Oculario Parisiensi celeberrimo excogitatam fuisse ultro profiteamur. Attamen instrumenti, hujus scalpello non abssimilis descriptionem legimus in libello jam citato qui inscribitur, *Méthode d'abatre la Cataracte* Authore D. Pallucci. Hæc sunt illius verba quæ ob majorem diligentiam, proprio idiomate referenda esse credidimus: *J'ai imaginé, inquit, une Aiguille d'une espèce particulière dont je me sers de la manière suivante. Je l'introduis par la pointe, & je lui donne une direction parallèle au plan de l'iris. Je fais sortir la pointe par le point diamétralement opposé à celui par lequel je l'introduis. Dans le même tems que je pousse l'Aiguille sans interruption, un tranchant qui se rencontre à quelque distance de la pointe, & dont la largeur augmente insensiblement en approchant du manche, coupe la portion de la cornée Ce tranchant étant dirigé obliquement à l'épaisseur de la cornée, & étant tourné vers la partie inférieure de l'œil, produit une incision qui représente un arc.*

7

tita comprobavit experientia. Aliunde quid vetat ne operatio hamulo
acuminato volfellâque rejeâtis, scalpelli nec-non spatæ minoris ope
celebretur? Haud quidem ita facile, verum certiùs ac aliâ quâvis me-
thodo perficietur.

*Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. RAPHAËLE
BENEVENTO SABATIER, Artium Liberalium &
Chirurgiæ Magistro, Scholarum Professore - Demonstratore
Regio, Regiæ Chirurgiæ Academiæ Socio, nec-non Primarii
Regiæ Domûs Invalidorum Chirurgi Vices - Gerente, tueri
conabitur PETRUS DYONISIUS MARTIN, Parisinus;
in Almâ Universitate Parisiensi, Artium Liberalium Magister.*

P A R I S I I S.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

*Die Sabbati 13^a Octobris à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam,
anno salutis 1759.*

P R O A C T U P U B L I C O
E T M A G I S T E R I I L A U R E A.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi,
viâ San-Jacobæâ, sub signo Olivæ, 1759.



